

legitimo, et in contractibus, ac casibus quibus proximus patitur aliquod grave damnum ex tali ficto juramento, est peccatum mortale: *Communis*. Et ratio est, quia ultra quam quod jurans in contractibus et dictis casibus gravem injuriam et damnum affert proximo, et assumit mendaciter nomen Dei ad decipiendum proximum cum gravi injuria, et damno ipsius, et reipublicæ; in iudicio legitimo tenetur sub gravi ad vere, et non fictitie jurandum: quilibet enim in iudicio legitimo respondere tenetur secundum mentem iudicis legitime interrogantis; iudex autem petit verum, et non fictum juramentum, cum hoc valde intersit communi bono reipublicæ: adeoque, etc.

(32. Jurare falsum sine animo jurandi est peccatum mortale, nedum in materia gravi, ut sine controversia tenent omnes; sed etiam in materia levi, quia sicut in idololatria, et in blasphemia, aut in infidelitate non datur parvitas materiæ, quæ a mortali excuset, etiamsi desit animus internus litandi idolo, blasphemandi, aut non credendi, ita nec in perjurio etiamsi desit animus internus jurandi. Unde Verricelli part. 1, Quæst. moral., tract. 1, qu. 12, sic expresse concludit: « Non audeo asserere probabilem neque tutam in conscientia eam sententiam quæ affirmaret non esse peccatum mortale in materia levi, ut in mendacio jocosio aut officioso jurare exterius sine animo interno jurandi. » Et sic tenet Viva l. c., n. 6, et alii de hac difficultate tractantes: arg. proposit. 24 in ordine ex damnatis ab Innocent. XI, die 2 martii 1679, ibi: « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. »

(33. Jurare cum animo jurandi, et promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi, est semper peccatum mortale, quia sic jurans vocat Deum in testem voluntatis implendæ, quam tamen scit se non habere; unde cum adducere Deum in testimonium falsitatis sit semper gravissima irreverentia contra ipsum etiam in materia levi, ut patet ex mox adducta propositione damnata, sequitur aperte quod jurare cum animo jurandi, et promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi, sit semper peccatum mortale etiam in materia levi: sic *communis doctorum*, teste Sporer tom. 1, tract. 3 in 2 præcept. Decalog., c. 1, sect. 4, n. 135.

(34-35. Consuetudo culpabiliter retenta jurandi sine causa, attamen verum, et cum debita advertentia et consideratione ad veritatem rei jurandæ, est peccatum veniale tantum, quia habitus non possunt habere majorem malitiam quam habent actus, ex quibus generantur; actus autem taliter jurandi sunt solum peccata venialia, adeoque, etc. *Communis*. Consuetudo autem culpabiliter retenta jurandi indiscrete et inadvertenter, sive verum sive falsum, est peccatum mortale, ita ut talis consuetudinarius voluntarie omittens extirpare vel emendare ipsam consuetudinem, vi talis consuetudinis culpabiliter retentæ peccat mortaliter, toties

quoties ita indiscrete et inadvertenter ad veritatem vel falsitatem jurat, sive reipsa sit verum, sive falsum, quod jurat. *Communis*. Et ratio est, quia omnis voluntarie se constituens, aut relinquens in periculo proximo peccati mortalis, peccat mortaliter. Talis autem consuetudinarius culpabiliter retinens, vel omittens extirpare dictam consuetudinem, ac vi illius ita indiscrete et inadvertenter verum vel falsum jurans, is voluntarie se relinquit, et semper constituit in proximo periculo peccati mortalis, scilicet juramentorum falsorum seu perjuratorum, adeoque, etc.

(36. Hic juvat adducere plurimorum consuetudines jurandi per diversas formulas, quarum aliqua veram rationem juramenti continent, et aliæ non. Veram igitur juramenti rationem continent sequentes et similes jurandi formulæ *Juro per Deum verum. Testor Deum. Invoco Deum testem. Per Deum ita est. Sit mihi testis Deus*, et hujusmodi. Tales enim et similes formulæ expressam invocationem divini testimonii in se continent.

(37. Si autem quis per simplicem assertionem, et non per divini testimonii invocationem sequentes vel similes formulas proferat: « Deus scit me verum dicere. Deus novit. Deus videt meam conscientiam. Coram Deo loquor. Deus videt ita esse. Deus testabitur suo tempore. Deus scit quia non mentior, » et hujusmodi, non erit verum juramentum, nisi aliud constet, aut ex circumstantiis probetur. Tales enim et similes formulæ continent meram assertionem, non autem divini testimonii invocationem, prout requiritur ad veram juramenti rationem. In istis tamen et similibus formulis attendenda est intentio loquentis, quia ratione intentionis loquentis solent quandoque ut juramenta usurpari, ut patet in apostolo Paulo ad Romanos I, ibi: *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo; II ad Corinth.*, ibi: *Testem invoco Deum in animam meam; ad Galatas I*, ibi: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior; I ad Timoth.* v, ibi: *Testificor coram Deo*, quibus verbis Apostolus jurasse existimatur.

(38. Juramenta non sunt dicere: « Per fidem meam et in fide veri sacerdotis, veri religiosi, veri christiani, veri hominis honorati. In fide regis, principis, aut nobilis equitis. In mea conscientia, » et hujusmodi. Per tales enim et similes formulas non invocatur, nec adducitur Deus in testem, prout requiritur ad verum juramentum, sed adducitur pro motivo credulitatis sola fides humana, quæ præstari debet sacerdoti, religioso, regi, principi, nobili, et hujusmodi.

(39. Item juramenta non sunt dicere: « Juro Deum. Per Deum. Per animam meam. Per vitam meam, quod te volo una die occidere, quod super te, vel super tuis bonis, de hac injuria, de hoc damno strictissimam una die sumam rationem, quod omnia mihi solves, » et hujusmodi. Talia enim et similia nec dicuntur animo jurandi, nec accipiuntur communiter ut juramenta, sed sunt

quidam modi comminandi et loquendi quibus solent uti rixosi et iracundi ad alios exprimendam suam excandescitiam, iram et indignationem.

(40. Item juramenta non sunt dicere: « Amputetur mihi nasus. Detruncentur mihi aures, nisi ita sit. Sim infamis, habear perfidus, hæreticus, Turca. Non sim honestus, nobilis, christianus, religiosus, sacerdos, (et hujusmodi), nisi verum sit quod dico. »

(41. Tales enim et similes formulæ non sunt veræ execrationes, vel invocationes divini iudicii ad hæc; sed solum quædam permissiones, quasi dicatur: *Habeas me pro tali, nisi verum sit quod dico*. Sporer loc. cit. sub num. 8; Gobat tom. III, de juramento n. 489, et alii passim. Sunt tamen vera juramenta execratoria dicere. « Tollat me Deus subitanea morte. Vivus hinc non discedam. Dæmon me ducat nunc in infernum, et hujusmodi, si mentior: » Sporer loc. cit., n. 13; Felix Potestas tom. I, part. II, n. 1547, et alii passim.

(42. Item juramenta non sunt dicere simpliciter: *Juro. Juro hoc verum esse. Juro ita esse*, et hujusmodi, quia per tales et similes formulas non fit invocatio, nec expressa, nec tacita Dei in testem, nec exprimitur per quem juretur. Imo, si simpliciter dicatur: *Juro*, nec exprimitur quid juretur. Possent tamen similes formulæ esse juramenta, si proferrentur cum animo et voluntate Deum in testem invocandi, aut ex circumstantiis ea intentio colligeretur, ut, verbi gratia, si Petro dicenti Paulo: *Jura mihi per Deum verum ita hoc esse*, Paulus respondeat: *Juro*, tunc enim Paulus vere, et realiter censetur jurare, et sic de similibus: Sporer loc. cit., num. 6, et alii communiter.

(43. Item juramenta non sunt jurare per creaturas in quibus nihil divinæ bonitatis specialiter relucet, nec per ipsas additur expressa relatio ad Deum, ut si quis dicat: *Juro per hanc chartam, per hanc vestem, per hanc paleam*, et hujusmodi, quia simpliciter sic eas creaturas proferendo non censetur adduci cum relatione ad Deum. Sunt autem juramenta jurare per ipsas creaturas, si expressa addatur relatio ad Deum, seu adducatur in obliquo Deus, ut si quis dicat, *Juro per hunc panem Dei, per hunc ignem Dei*, et hujusmodi; quia sic invocatur Deus tanquam panis, ignis, et hujusmodi conditor: Silvester verb. *Juramentum*, 2 q. 4; Sanchez l. III, cap. 2, n. 10; Sporer loc. cit. sub num. 7, et alii.

(44. Juramenta autem impuncta sunt jurare per creaturas, etiam irracionales et inanimatas, specialiter tamen excellentes, et in quibus Deus specialiter eluceat et resideat, ut *Per cælum et terram*, et hujusmodi, sicut juravit Moyses *Deut. c. IV, n. 26*, et cap. xxx, n. 19, ibi: *Testes invoco hodie cælum et terram*; et Christus Dominus *Matthæi cap. V, n. 34*, prohibens supervacanea juramenta dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est ma-*

gni Regis. Item cap. xxiii, num. 20 et seq. dicit: *Qui ergo jurat in altari jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt; et quicumque juraverit in templo jurat in illo et in eo qui habitat in ipso; et qui jurat in cælo jurat in throno Dei et in eo qui sedet super eum*. Et consonat Epistola Canonica D. Jacobi apostoli c. v, n. 12, ibi: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum*. Item juramenta sunt jurare per quasvis res sacras Deo specialiter consecratas, ut *per crucem Christi, per sacramenta, per sacram Scripturam, per Evangelia*: cap. *Quoties cordis* 9, caus. 1, q. 7. Item juramenta sunt jurare per beatissimam Virginem, per beatos angelos, et sanctos Dei, quatenus beati gratia et gloria Deo uniti sunt, tanquam amici et domestici Dei, in quibus divina Majestas perfectissime resplendet. Si quis tamen juraret per beatissimam Virginem Mariam, per angelos et sanctos absolute, per suam creatam perfectionem, et excellentiam gratiæ et gloriæ, non referendo ad Deum, non esset verum juramentum virtutis religionis, sed solum esset sacra contestatio virtutis dulciæ: Sanch. lib. III, cap. 2, n. 9; Sporer loc. cit., n. 7, et alii.

(45. Jurare per vitam Dei et sanctorum, per caput, cor, aliaque membra honesta Christi, beatissimæ Virginis, et sanctorum, per sanguinem Christi, per ejus vulnera, et hujusmodi, si reverenter fiat in sensu assertorio et invocatorio, et non in sensu execratorio (quod scilicet illa pereant, vel non sint, si hoc non ita sit), blasphemum et illicitum per se non est: Sporer loc. cit. sub n. 6, et alii. Blasphemum autem et illicitum est, si fiat in tali sensu execratorio: Sporer loc. cit., et alii. Et a fortiori blasphemum, et gravissime prohibitum est jurare per membra Dei, cum Deus, ut purissimus spiritus, membra corporea non habeat. Item jurare per inhonesta membra Christi, beatissimæ V. M., et sanctorum: cap. *Si quis* 10, caus. 22, quæst. 1, ibi: « Si quis per capillum Dei vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ordine ecclesiastico est, deponatur, si laicus anathematizetur; » et athen. *Ut non luxurientur homines*, collat. 6, ibi: « Nemo juret per membra Dei, aut alio modo Deum blasphemet; his enim delictis, et fames, et terræmotus, et pestilentiæ fiunt. Præcipimus ergo tales comprehendere, atque ultimis subdupliciis. »

(46. Dicere: « Ita hoc verum est sicuti verum est quod Deus sit unus, quod personæ divinæ sint tres, » et hujusmodi: si intentio sit adducere divinam veritatem in testem, et insuper comparare totaliter humanam veritatem cum divina, ut humana veritas, et certitudo nostri dicti tanta sit quanta est divina veritas et certitudo veritatis divinæ, tunc est juramentum et blasphemia. Si intentio sit adducere divinam veritatem in testem; at non totaliter comparare, sed solum aliquid veritatem humanam divinæ assimilare hyperbolice loquendo (ut communiter et usua-

liter profertur) ita ut sensus sit: « Sicuti verum est quod Deus sit unus, personæ divinæ sint tres, ita suo modo verum est hoc quod dico; » tunc est juramentum, sed non blasphemia. Si autem intentio sit solum assimilare aequaliter modo nunc explicato veritatem humanam divinæ, et non adducere divinam veritatem in testem, sed solum enuntiative proferre, nec est juramentum nec blasphemia; Felix Potestas loc. cit., n. 1356; Sporer loc. cit., num. 5, et alii.

(47. Juramenta sub dictis, aliisque formulis etiam licitis non sunt passim facienda; pluribus enim subsunt periculis. Unde attendendum est monitum Ecclesiastici cap. xxiii, n. 9 et sequent. ibi: *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus sanctorum ne admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis; sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur, sic omnis jurans et nominans in toto a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* Et id quod Christus Dominus, *Matth. c. v, n. 34*, prohibens supervacanea juramenta dicit: *Audistis quia dictum est antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino vota tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolimam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, a malo est.* Et consonat Epistola Canonica D. Jacobi apostoli cap. v, n. 12, ibi: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum, sit autem sermo vester, est, est, non, non, ut non sub judicio decidatis.* Et D. Augustinus serm. 30, de Verbis Apost., sic optime concludit: « Duo sunt quæ damnabo nunquam, veram jurationem, et nullam jurationem; damno autem falsam jurationem. Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. »

(48. Ad licite jurandum requiritur certitudo veritatis, tum ex parte rei juratæ, tum ex parte personæ jurantis. *Communis.* (49. Certitudo veritatis ex parte rei juratæ sufficiens ad juramentum licitum habetur, si res secundum sensum humanum, communem acceptationem aut consuetudinem sumpta, ita se habet sicuti juratur; ut si quis parochus juret suum clericum frequentasse toto anno ecclesiam, quamvis aliquoties intermiserit, quia parum pro nihilo reputatur, et humano sensu totus annus æstimatur, etiamsi modicum quid abfuerit. Idem dicendum est de fidibus juratis, quæ apud familias regulares concedi solent, quod lectores per tot integros annos legerint, et studentes scholas frequentaverint, et omnes suas scholasticas functiones laudabiliter obiverint, quamvis juxta consuetudinem non nisi per septem, vel octo integros menses singulis

annis id egerint, et aliquoties defecerint, seu non ita laudabiliter semper peregerint; et sic de similibus.

(50. Certitudo veritatis ex parte personæ jurantis sufficiens ad juramentum licitum habetur, si jurans sit certus, vel physice, vel moraliter, juxta diversitatem materiæ, de veritate rei quam jurat. Unde in odiosis, puta in contractibus, et negotiationibus humani commercii, ac in sententiis ferendis, et quoties est periculum damni proximi, ad absolute jurandum rem ita esse, vel non esse, requiritur certitudo scientifica, seu physica, et experimentalis, qualis habetur per visum, cap. *Testis 15*, caus. 3, quæst. 9. Judex enim in illis juridice interrogans intendit interrogare non de quacunque certitudine, sed de certitudine sufficiente ad faciendam semiplenam probationem, ad quam non sufficit certitudo moralis unius testis, ex auditu cujusvis fide digni, sed requiritur certitudo scientifica, seu physica, et experimentalis. In favorabilibus autem, in quibus nullum adest damnum, et præjudicium proximi ad absolute jurandum, sufficit certitudo moralis, seu credulitas: arg. cap. *Ex parte 1*, de Scrutino in Ordine faciundo, ubi Innocentius III definit, quod archidiaconus testificans episcopo clericum promovendum esse dignum ad ordinem, non peccat, quamvis non physice certo sciat, sed solum sciat quantum humana fragilitas sinit noscere, seu ex indiciiis probabilibus; quod est testimonium de credulitate, reddita hac ratione: *Cum illum quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare.* Hinc quando petitur informatio alicujus personæ, verbi gratia, de vita, et fama, et similibus, sufficit ad jurandum in ejus favorem certitudo moralis ex auditu, quia certitudo de visu, seu physica et omnimoda de istis, nec haberi, nec quæri solet.

(51. Veritas juramenti est triplex. Prima quando objectum juramenti conformatur, et menti, et rei, et sic nullum est peccatum, si aliunde interveniant alia requisita ad juramentum. Secunda, quando objectum juramenti conformatur menti, sed non rei, et in hoc casu si non fuit adhibita debita diligentia pro veritate scienda, est peccatum mortale. Tertia, quando objectum juramenti conformatur rei, sed non menti, et in hoc casu est peccatum mortale, et perjurium, licet dicatur veritas, quia juratur contra dictamen propriæ conscientiæ. *Communis.*

(52. Nulla persona privata potest licite exigere juramentum ab eo quem certo scit esse pejeraturum arg. cap. *Clericos 3*, de cohabit. Clericor., et cap. *Ille qui 5*, caus. 22, qu. 5, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse dicitur: « Ille qui hominem provocat ad jurationem, et scit eum falsum juraturum esse, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam: imo duas animas, et ejus quem jurare provocavit, et suam: scis verum esse quod dicis, et falsum esse quod ille dicit, et jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit, tu quid invenisti? Imo et tu periisti, qui de illius morte te satiare voluisti. » Et ipsemet D. Au-

gustinus tom. X, serm. 2, de Decollat. S. Joannis Baptistæ, idem, serm. 11, de Sanctis, ubi supra dicta scribit, subjungit ad rem hoc formidabile, sed dignum exemplum, ibi: « Aliquid dicam quod, nunquam dixi charitati vestræ in hoc populo, quod contigit in hac Ecclesia: Fuit hic homo quidam simplex, innocens, bene fidelis a multis vestrum (*id est Hipponensibus*), imo ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutuslymeni quis vestrum non novit, qui estis cives? Ab illo audivi quod dico. Nescio quis negavit ei, vel quod ei debebatur, et hominis fidei se commisit. Commotus provocavit eum ad jusjurandum: juravit ille, iste perdidit, sed isto perdente, ille penitus perit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo gravis et fidelis ipsa nocte se exhibitum fuisse ad judicem, et cum magno impetu atque terrore se pervenisse ad præsidem excelsum quemdam, et admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum, jussu fuisse perturbatum retro vocari, et interrogatum fuisse his verbis: Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille: Negavit mihi rem meam. Responsum est illi: Et nonne melius erat ut rem tuam quam exigebas perderes quam animam hominis istius falsa juratione perimere? Prostratus est, jussus est cædi. Cæsus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, postea quam emendatus est: Parcitur innocentia tuæ, de cætero cave ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum, et emendatus est, sed multo gravius peccatum faciet qui post istum meum sermonem, et istam meam admonitionem et exhortationem, tale aliquid fecerit. » Hæc D. Augustinus. Sic etiam tenent S. Bonaventura in 3, dist. 39, art. 2, quæst. 3; S. Thomas 2, 2, quæst. 98, art. 4; Reiffenstuel. lib. II Decretal., tit. 7, num. 52; Abbas in cap. *Cæterum 5*, de Juramento calumniæ, num. 4; Pax Jordanus Elucubrat., vol. III, lib. XIV, tit. 22, num. 50 et 51; Gobat tom. III, de juram., num. 645; Felix Potestas, tom. II, part. II, num. 1576; Bonacina, Castropal., Scotus, Vasquez, Silvester, et alii plures, contra multos alios. Et ratio nostra est, quia nulla potest assignari justa causa, et necessitatis tale juramentum exigendi. Tota enim justa causa et necessitas esset, ut dicunt ipsimet adversarii, maxime tuitio proprii juris, recuperatio propriæ rei, firmatio veritatis, pacti, et hujusmodi: atqui nihil horum per tale falsum juramentum potest obtineri, imo contrarium potius resultat; quia statim ac ipse cum falsitate jurat, non tibi, verbi gratia, competere tale jus, tuam non esse talem rem, tibi non debere quod dicis, et hujusmodi, jus tuum non tueris, rem tuam non recuperas, sed potius perdis, imo sine ulla tua utilitate animam proximi et tuam perdis, ut recte dicit S. Augustinus relatus in cit. cap. *Ille qui 5*, caus. 22, qu. 5, adeoque, etc.

(53. Dicitur notanter *Nulla persona privata*, quia persona publica, ut publica, puta

judex, licite potest, justa interveniente causa et necessitate, exigere juramentum ab eo quem certo scit esse pejeraturum. *Communis.* Et ratio est, quia judex illud juramentum exigit juris ordine: et jus publicum ac communis utilitas prævalet cuilibet juri privatæ personæ. Et quamvis judex non prodesset privatæ personæ læsæ per recuperationem rei prætensæ, ut vere, et realiter suæ, prodesset tamen communitati et reipublicæ, quia, si non posset licite judex exigere juramentum ab iis quos certo scit esse pejeraturos, possent perversi fingere se certo pejeraturos, ut sic a judicis interrogatione eximerentur, quod cederet in maximum reipublicæ præjudicium et detrimentum. Tum quia posse judicem licite exigere juramentum ab eo quem certo scit esse pejeraturum, cedit in aliorum exemplum, qui sic deterriti, ne in damnationem propriæ animæ adducantur ad similia perjuria, seu falsa juramenta, abstinere se a plurimis malis cum non parvo reipublicæ bono. Tum etiam quia, cum judex teneatur sequi præscriptum juris, adhibendo ea quibus solet elici veritas, quando, aut lex in particulari decernit ut aliqua controversia juramento finiatur, aut una pars in defectu probationum juramentum juste poscit ab altera parte, tenetur judex exigere juramentum ab illa altera parte, ne se suspectum reddat, aut det justam occasionem scandali, quod est illi magis cavendum quam peccatum privati; adeoque, etc. Vide infra num. 56.

(54. Non licet scienter alterum inducere ad jurandum falsum, quamvis ipse alter bona fide omnino credat esse verum. *Communis.* Et ratio est, quia talis sciens inducit alterum ut adducat Deum in testem falsi, quod est intrinsece malum, quamvis jurans propter bonam fidem et ignorantiam invincibilem excusetur a peccato. Sic, verbi gratia, Paulus sciens se esse illegitime natum, quamvis alii communiter certo putent esse legitimum, non potest sine gravi peccato alios inducere ad jurandum se esse legitimum, quia, quamvis tale perjurium respectu jurantium sit solum materiale, adeoque nullum peccatum ratione bonæ fidei et erroris invincibilis, respectu tamen ipsius inducentis est formale, adeoque peccatum, quia et cognitum, et volitum, imo per se intentum.

(55. Licitum est cuique, necessitate, seu justa causa existente, ad damnum, vel injuriam cavendam, etiam in contractibus et aliis causis exigere juramentum a pagano qui per falsos deos aut Mahometem certo noscitur juraturus, non quidem, ut determinate juret tali modo, sed absolute, et in genere. Sic D. Augustinus epist. 154, ad Publicolam, et serm. 30, de verbis Apostoli; D. Bonaventura l. c.; S. Thom. 2, 2, qu. 78, art. 4, et in 3 sent. dist. 39, qu. unic. art. fin., ad 3; S. Antoninus, III par. Summæ Theol., tit. 27, cap. 1; Lessius lib. II, c. 42, dubit. 10, n. 50; Reiffenstuel Theol. moral. tract. 6, dist. 2, q. 3, n. 36; Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 1579, et alii

passim. Sic enim *Genesis xxxi*, Jacob recepit juramentum a Laban idololatra, et *Machabæor. l. I, c. viii*, Judas a Romanis idololatri; et idipsum est quotidianum apud mercatores qui cum infidelibus contrahunt. Non licet autem tale juramentum exigere sine necessitate, et justa causa, neque etiam licet aliquem inducere ad hoc determinate; quod juret per falsos deos, quia esset cooperari alterius peccato, ut notant citati sancti Patres aliique omnes.

(56. Judex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter, uti principales, examinantur. Sic novissime statuit Benedictus tertius decimus in concil. Romano tit. 13, de Jurejurando, cap. 2. Vide verb. *Reus* num. 26.

AD NUM. 15 HUIUS ARTICULI ROMANI  
THEOL. NOTÆ.

(57. Circa restrictiones mentales videantur quæ adnotata sunt supra verbo *Accusatus*; ubi plura refutata sunt quæ in hoc articulo a Ferrari repetuntur. Sed hic, uberioris cognitionis causa, primum nonnullas regulas, deinde nova proferemus adversus laxas opiniones argumenta. Primo, extra controversiam est, restrictiones mentis, quæ et absolute, et circumstantiis inspectis, intra mentem sistunt, nulloque modo ab audiente percipi queunt, fuisse ab Ecclesia proscriptas tanquam mendacia. Et licet quidam scribant esse prohibitum usum earum, dumtaxat a *tutto pacto*, id est continuum; id tamen ceu falsum omnino et proscriptum reprobamus.

Secundo, certum est aliquam locutionem esse falsam secundum se, veramque fieri ex circumstantiis interrogationis. Puta, si Confessarius roget Titium confitentem peccata sua, an fornicationem, furtum, aliaque peccata commisisset, et Titius neget, vera responsio est, licet aliquando eam commiserit, et confessus eadem fuerit. Quia ex circumstantia confessionis externæ et realis, in qua sola peccata commissa, et nondum confessa, panduntur, juxta communem intelligentiam, interrogatio est de his solis peccatis. Quare Titius respondens se eadem peccata non commisisse post ultimam confessionem, ad mentem respondet confessarii. Similiter, si Petrus interrogatus a servo sollicite per vicos et plateas dominum suum requirente, an illum viderit, respondeat se non vidisse; quamvis heri alioque tempore millies illum viderit, vera est responsio; quia ex circumstantia externa sollicitæ et anxie inquisitionis patet ejus interrogationem esse de visione sui domini hic et nunc, ita ut ex responsione deprehendere queat ubi nunc reperitur. Et si Petrus responderet famulo, se heri vidisse dominum illius, famulus sibi illud existimaret. Hæc autem vera sunt juxta communem omnium intelligentiam, ac proinde licita. Porro in hoc errant recentiores plurimi, quod ex his peculiaribus casibus inferant regulam universalem, ut jam jam explicabimus.

Amphibologica locutio ea est quæ varios patitur sensus, quamque qui loquitur aliter intelligit ac intelligendum prospiciat ab illo qui audit; ea tamen intelligi ab eodem potest, vel certe valet alter advertere esse ambiguum orationem; adeoque aliis interrogationibus urgere potest respondentem ad probandam veritatem, verbigratia, quando Abraham dixit Saram sororem esse suam: Si Pharaon advertisset ad illud verbum *Soror*, intellexisset verbum æquivocum, aliasque sorores ex patre, alias ex fratre, vel nepote; et hac via incedere potuisset ad cogendum Abrahamum ut veritatem manifestaret, si manifestabilis fuisset absque peccato.

Tandem certum est nunquam licitum esse uti amphibologia sine justa causa (id omnes fatentur) quando loquens utitur oratione amphibologica in sensu quem non percipiendum confidit ab audiente. Si enim utatur amphibologia in eo sensu quem credit et prospicit intelligendum ab audiente, tunc non est proprie amphibologia, quia qui ad mentem, et juxta intentionem interrogantis loquitur, et respondet eadmode, et sincere loquitur, nullaque esse de peccato suspicio potest. His præmissis, quæ nobis videatur vera sententia proponitur.

« Licitum est locutione amphibologica, seu æquivocatione, quæ aut vi verborum, aut ratione circumstantiarum, juxta communem intelligentiam, plures excipit sensus intelligibiles ab audiente, veritatem occultare; sed non semper hæc amphibologia occurrit, neque semper sufficit ad occultandam veritatem, potissimum dum interrogans urget ut sine æquivocatione loquamur: propterea alia via occultanda sunt secreta quæ absque peccato revelari nequeunt. »

Hæc nostra sententia duplici constat membro. Primum nihil peculiare continet, nec video ab aliquo negari posse. Constat enim, et exemplis allatis, et pluribus ex ipsa Scriptura adducendis, licitam esse illam æquivocationem quæ sensus plures patitur ab audiente, aut vi verborum, aut circumstantiarum ratione intelligibiles, quia reipsa talis locutio habet hos varios sensus, juxta communem hominum intelligentiam; quanquam non semper quilibet audiens advertat ad sensum quem loquens intendit: quod contingit ex ejusdem audientis oscitantia aut hebetudine. Quando autem vel crimen, vel secretum, vel quodpiam aliud factum, occultandum ex justitia, aut charitate, excipiat locutionem amphibologicam, seu verba æquivoca, non potest a nobis definiri, neque certa regula præscribi; sed quisque in praxi consulere suam conscientiam debet, ad veritatis regulas respiciendo. Ita docet Sotus lib. de tegen. sec., memb. 111, quæst. 111, concl. 7. « Interim tamen, si percontetur quis, quibus amphibologiis poterit se miser tueri, non possumus illas sigillatim colligere; sed pro sua quisque peritia et prudentia illas poterit excogitare. »

Secundum sententiæ nostræ membrum ad punctum præcipuum, ac quasi dixerim, unicum præsentis quæstionis spectat atque

declarat. Illud adversatur communi doctrinæ recentiorum, qui, ut diximus supra, quia copulare volunt semper et custodiam sigilli et conservationem vitæ, volunt quoque semper, et pro quacunque veritatis alicujus momenti occultatione, adesse amphibologicas locutiones, quibus veritas occultetur. Neque enim ipsis ex natura ipsius peculiaris facti, quod reipsa æquivocationem suscipit, inferunt licite adhiberi posse amphibologiam exterioriorem; sed absolute statuunt, quodcunque factum, seu crimen, et quamcumque veritatem non manifestabilem admittere æquivocationes externas hoc ipso quod veritas non debeat manifestari et communicari. Nos contra dicimus, aliqua sua natura admittere æquivocationem, seu verba duplicis potestatis, aut sub talibus circumstantiis interrogationes aliquando fieri, quæ plures sensus habere possint: et tunc affirmamus licitum esse, justa urgente causa, occultare veritatem beneficio locutionis amphibologicæ, ab audiente, si advertat, intelligibilis. Exempla rem manifestabunt. Abraham amphibologia occultare potuit licite matrimonium: quia revera Sara soror illius non ex matre, sed ex patre erat: quæ consanguinitas apud Hebræos sufficiebat ad sororis veram appellationem. Quod si tali consanguinitatis vinculo juncti non fuissent, minime tali amphibologia celare matrimonium potuissent. Christus dixit: *Ego autem non ascendam ad diem festum istum*: quia revera erant plures dies festi, et primus celebrior erat, atque solemnior, ad quem invitabatur Christus: qui sincere respondit ad illam solemnem festivitatem se non ascendere, quia nondum tempus suum advenerat; tacuit vero suum ascensum occultum post alios dies faciendum, quando tempus suum impletum jam esset. Dum sacerdos, qui simul est confessor, interrogatur an sciat homicidium, aut aliud delictum perpetratum, sincere et vere respondet se illud ignorare, quamvis illud in confessione audierit: quia juxta communem intelligentiam omnium Christianorum non interrogatur ut confessor, sed ut cæteri homines. Hæc omnia paucioribus verbis explicat P. Dominicus Soto, qui, ut mea præfert opinio, præ omnibus theologis controversiam hanc feliciter versavit, et ad Ecclesiæ mentem proximius sua doctrina hac in materia accessit. Inquit ergo de leg. sec. memb. 111, quæst. 111, concl. 7: « Si verba non occurrunt quibus per æquivocationem usu hominum receptam citra mendacium celari possit crimen, mori debet antequam mentiatur... Dicta sanctorum eo tendunt, ut prohibeant responsa per verba quæ nullum possunt facere verum sensum, secundum significationem usu receptam; quippe quæ non possent a mendacio ulla ratione excusari. »

Clarius explicatur discrimen quod nostram inter et recentiorum opinionem intercedit. Recentiores, ut vidimus, non ex facti natura, neque ex circumstantiis revera extrinsecus adventibus, quæ veritatem

ipsam, ut sic dicam, afficiant, sed ex causis, seu damno quod manifestationem veritatis consequitur, inferunt, restrictiones non esse mentales. Exempla rem manifestabunt. Uxor adultera vitam amittit si adulterium marito pugione districto illam impetenti fateatur. Dicunt ipsi mulierem adulteram uti posse amphibologia, aut duplici scientia communicabili et incommunicabili, aut verbis nihil significantibus, ut mortem evadat. Nostra sententia cum D. Augustino oppositum asserit. Causæ enim quæ obligant ad celandam veritatem omnino disparatæ sunt ab ipsa locutione; adeoque perperam adducuntur tanquam circumstantiæ externæ, vi quarum sensus in mente retentus fiat exterior. Si hoc namque verum esset, nullæ forent restrictiones pure mentales: quoniam auctores illarum non nisi ob graves causas illas propugnabant, et tamen nemo illorum dixit quod causæ istæ constituent illas restrictiones exteriores. Hoc inventum excogitarunt scriptores (quod magnopere advertendum est) post propositiones damnatas. Ut enim declinarent pontificias censuras, restrictiones mere mentales, non mere mentales, sed exteriores appellare cœperunt. Et si ab illis quæras cur appellentur exteriores, respondent, quia hic et nunc manifestatio veritatis infert grave damnum, violat vel justitiam, vel charitatem. Facile enim illis est hanc, cæteroquin falsam doctrinam, fucos linire; quia, ut explicando nostram sententiam adnotavimus, revera dantur aliquæ restrictiones externæ, non ob causas occultandi veritatem, sed quæ ipsam afficiunt locutionem, et factum quod sub locutione cadit: ut patet in confessario, ejus personalis dignitas circumstantia vere externa est, quæve determinat locutionem: et in responsione Abrahami et Christi Domini non ascendentis ad solemnitatem primi diei. Et hæc est fere unica occasio errandi recentioribus, qui ex uno casu peculiari, puta confessarii, cui similis non datur, inferunt regulam universalem, qua statuunt omnes veritates summi momenti, omniaque secreta occultanda esse amphibologico sermone, nulla facta consideratione, utrum factum seu crimen occultandum excipiat nec ne sermonem amphibologicum, suppeditetque vocabula æquivoca; ut matrimonium occultandum suppeditavit Abrahamo verbum æquivocum *sororis*. Sed unice considerant consecraria mala quæ manifestatio veritatis parit; et ex hoc principio inferunt restrictiones non esse pure mentales. Quod eodem recidit ac si dicerent in gravi vel extrema necessitate mendacia non esse mendacia, restrictiones pure mentales non esse pure mentales. Quemadmodum siquidem antiqui defensores mendaciorum excusabant locutionem Raab negantis reperiri hospites in domo sua, et filii negantis patrem exstare domi, et adulteræ negantis adulterium se commisisse ob mortem vitandam; sic isti eadem omnino locutionem absque exteriori addito excusant: cum hoc tamen discrimine quod antiqui in mendaciorum defensione